

vtrique litiganti partim fauorabilis, partim
 onerosa, quae alterutri contraria illa a se se-
 pares sicque rationes dubitandi in genere in
 duas classes, litteris vel numeris maioribus
 distinguendas diuidas, quibus postea sub litteris
 vel numeris minoribus ipsas rationes subiun-
 gas; nunc 7) ad rationum decidendi elabo-
 rationem accedens ab explicatione primaria-
 rum incipias, deinde 8) ad refutationem ra-
 tionum dubitandi te conuertas, et quamlibet
 ad quamuis earum responsionem eadem litte-
 ra vel numero signes, quo dubitandi rationem
 antea signaueras. Haec quidem in explica-
 tione rationum sententiae in causa ciuili latae,
 vt et in criminali, quatenus inquisitus neque
 in poenam capitalem aut corporis afflictiuam
 grauiorem condemnatur, neque territionis
 aut torturae applicatio praescribitur, obser-
 uanda sunt; vbi vero sententia criminalis in-
 quisitum vel huiusmodi poenae vel tormen-
 tis subiicit 1) initio sententiae recenseantur,
 et quae inquisitus iam confessus, et quorum
 inculpatus est, tum 2) explicentur rationes du-
 bitandi decidendique, denique 3) ipsa se qua-
 tur sententia, tanquam conclusio ex antece-
 dentibus. In causis criminalibus rationes du-
 bitandi petuntur ex inquisiti defensione eo-
 que, quod vi officii iudicis ex Actis vel iure
 supplendum videtur, decidendi vero ex
 Actis et iure, quoties sententia est condem-